

Cum uisi fuerint commoueri, oportet constrictiuis uti collutionibus, quarum materia ex parte superius diximus adhibendum oleum lentiscinum, & aquas coelestes, & lac asininum: est enim densabile: Item decoctio mali punici, uel gallae, aut acatiae, aut rosae, aut murræ nigrae, aut mali cydonij, uel platani bacca. Ungendæ præterea gingiuarum medicamine, quod appellamus diamaron. Item diaporos & diaroos, & diomphacion, & cenanthio. Item si quædã emerferit gingiuarum sanguinatio, corallij tufi puluis cretus, atque intus ponendus & alumen cum melle. Item eruca cum aceto apponenda. Sed hæc sunt primo concoquenda iugi motu uersata.

DE APPREHENSIONE, SIVE OPPRESSIONE,
NE, QVAM GRAECI CATALEPSIN APPELLANT. CAP: V.

Εκτάλησι.

Chrysippus.
Niceratus.



Celii libri cele-
rum passionū

Hanc passionem ueteres tanquam specialem, uel propriam tradiderunt, quasi nullo ex genere ueniens, ut Chrysippus memorat, quod de ipsa Niceratus conscripsit librum, probans scilicet etiam ueteribus medicis cognitam, quod nos confirmamus. Sed quia nunc tarda, nunc celer à methodicis adprobatur, quanquam sit à nobis celerum passionum libris plenissime tradita, etiam nunc erit ordinanda: Quippe sæpe in tardum ueniens motum, & propterea chronia nuncupanda. Sequitur autem patientes febricula, et uocis amputatio cum oculis patientibus, atque in palpebratione: difficilius eo tempore quo statum sumpserit accessio, & omnis immobilitas, cum palpebrarum impossibili atque horrenti positione, quæ declinatione facta aliqua ex parte accipiat motum: Etenim admota manu ac digitis, circumtractis oculis tenus palpebra recognoscitur ægrotantis, atque obtutu inter nota translatione manus in qualibet parte declinata sequetur conuerso scilicet uultu. * Dehinc inclamati intendunt, lachrimantes sine ulla responsione: Et si odoramenta iucunda fuerint admota, declinatione quadam moueri intelliguntur, frequenter adducentes spiritum hauriendæ exhalationis causa. Ac si tetra odoramenta fuerint admota, recusare uidentur ac fugere. Item dulcia atque amara ori admota labijs uel linguæ illita sentiunt: non aliter si ulla fuerint punctio ne pulsati, ex nostro officio tentam manum suo replicant uel colligunt. Item lacessiti collugent, ingemunt, attestante uultus rubore cum pulsu magno ex uehementibus atque fortioribus saltibus confecto. In declinatione uero plurimus sæpe sudor sequetur, ac feruens, & in dimissione limpidae sinceritati proximi efficiuntur. Ac rursus in accessionem si redeunt ægrotantes, peiorante passione plurimus feruor accedit cutis, & spiratio celerrima, quam Graeci tachypnoean uocant, oculorum conuersio, manuum contractio, sudoris ignei defluxio, maculis emergentibus in thoracem atque uultum, & primo rotundus in similitudine ulcerum, quæ iontus appellant. Item ab apoplecticis hæc discernitur passio, quod in ipsis paruus atque creber pulsus inueniatur, & non ut in catalepti- cis maior atque percussibilis, & neque iucundum, siue tetrum odorem accipiant, neque dulcia & amara consapiant. Item ab hijs qui ex stomachi passione obmutescunt. Siquidem in hijs rursus paruus atque imbecillis pulsus inueniatur, attestante singultu cum manifesto tumore in stomacho apparente. Hæc est discretio similium passionum, sed ei curatio adhibenda est, quæ epilepticis dicta est.

Ταχύνουσι.